33 (6

D. O. M.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-quintâ mensis Januarii, anno Domini M. DCC. LIII.

M. EDMUNDO-THOMA MOREAU, Doctore Medico, Præside.

An ex utriusque sexûs seminis miscelâ, fœtus?

I.



INTER omnes facultates quibus nos benefica parens donavit Natura, nulla certè præstantior illâ, quâ similem nobis hominem generare concessum est. Quis enim dubitet de præstantiâ functionis quâ fugacium hominum mortale genus conservatur, propagatur, ac quasi redditur immortale? Verum eheu! quæ adeò commendanda est functio, hæc quàm obscura! Legum quibus perficitur, indagatio, quàm difficilis, ac ambagibus intricata! Tot tamque diversæ exortæ sunt de generatione opiniones, tam opposita narrantur experimenta, ut in hanc vel illam descendere sententiam sit res maximè ardua. De fœtûs origine imprimis est disceptatum; nec mirum; cùm naturæ penetralia subire, intimos ejus scrutari recessus valdè sit operosum. Nos verò, si quid in implicatissimâ quæstione statuere liceat, fœtum ex utriusque sexûs seminis miscelâ coalescere censemus; quam quidem doctrinam eò confidentiùs profitemur, quòd phænomena plurima in cæteris hypothesibus explicatu difficilia, aut omninò impossibilia apprimè expediat, rationisque ac experientiæ fulcris immobilibus innitatur.

I I.

OMNIS fermè ante Aristotelem antiquitas ex utriusque sexûs semine fœtum nasci autumabat; at purioris physices lumine destituta, anatomen minimè callens, seminisque fœminini naturam ignorans, in hanc opinionem, veram licet, at nullis ferè probationibus fultam, quasi fortuitò abierat. Absit ergò ut hanc acceptam illi referamus; *nobis enim inventor is est, qui propositionem aliquam non cognovit solùm, sed ita demonstratam dedit, ut omnes rerum gnari, de ejus veritate convincantur, inquit Boerhaavius* (*a*) hanc veterum opinionem totis viribus evertere annisus Aristoteles, plurium eximiorumque experimentorum quamvis probè gnarus, multò infirmiorem in medium protulit: putavit nimirum marem & fœminam in producendo fœtu, simul unà concurrere, sed ratione dispari. Hæc materiem suppeditabat, ille formam. Ex sanguine menstruo materies, à semine maris forma; (*b*) verùm quis bonæ mentis hodie non agnoverit nihil sub nomine formæ intelligendum esse nisi accidens, ut aiunt, à substantiâ cui adhæret nullâ ex parte distinguendum? Quis concipiet semen masculum immaterialiter agere posse? Nec felicior fuit Hippocrates in astruendâ suâ hypothesi. Credidit nempe semen in utroque sexu reperiri, & in unoquoquè duplicis generis esse, generosius unum, debilius alterum; masculum porrò fœtum nasci quando fortius maris semen cum fœminæ fortiori jungeretur; femellum verò produci, quando debile maris cum fœminæ debili commisceretur (*c*). Etsi sponte non rueret seminum fictitia hæc divisio, ut pote quæ nullo suffulta est fundamento, hanc funditùs everteret quæstio hæc vix solvenda: quodnam scilicet productum foret miscelæ seminis debilis masculini cum semine femello fortiori?

(*a*) Vid. Albert. Haller prælect. Acad. in inst. Boerhaavii tom. 2. in 12. p. 67.

(*b*) Aristot. de generat. lib. 1. cap. 19. & 20. & lib. 2. cap. 4.

(*c*) Hipp. lib. de genitura p. 126. & lib. de diæta pag 198. Laugd. bat. 1665. tom. 1.

III.

NOVOS ſenſus nova ætas attulit. Tres potiſſimùm nunc vigent de generatione opiniones: alii ex ovo materno; alii ex animalculis in ſemine maſculo contentis; tertii demum ex ovo materno, & verme maſculo ſimul unitis, fœtum oriri autumant. Primi Graafium, Malphigium, Valiſnieriumque duces ſecuti, teſtes mulierum vera eſſe ovaria contendunt aggregatorum ovulorum receptacula vera, quorum quidem ovulorum in ſingulo, naſcituri embrionis rudimenta perfectè delineata deliteſcere arbitrantur; de verâ ovulorum in teſte muliebri ſede non inter ſe conveniunt, at in eò conſentiunt, ovula hæc aurâ ſeminali maris imprægnata fœcundataque, ex ovario ſolvi, per tubas Fallopianas ad uterum delabi, ibique ſucci lymphatici beneficio creſcere, & tandem in fœtum membranis ſuis involutum abire. Alii experimentorum à Lewenoeckio captorum vanâ veri ſpecie deluſi, cum celeberrimo hoc obſervatore animalcula futuri hominis primordia ſemine virili innatantia ſibi finxerunt. Ex innumerâ autem animalculorum multitudine, tempore coitûs in uterum cum ſemine ejaculatorum, unum aut alterum, (raro plura) locum ſibi idoneum invenit, ſedem ibi figit, fovetur, creſcit, tandemque fœtus evadit. Nulla in femellis juxta eos reperiuntur animalcula; in ſemine verò maſculino, adeò ſtupenda eſt horum multitudo, ut in ejus guttulâ minimum arenulæ granum vix adæquante, plura millia numerari poſſe affirmaverit Lewenoeckius. (a) Diverſa eſt horum figura in variis animantium ſpeciebus; omnia ſunt attamen longa, teretia, caudâ tenui donata, membris aliis deſtituta, anguillulæ corpus ſat benè referentia. Omni ſenſu rapidè moventur; nec omnia eadem ſunt, ſed alia alio ſexu donantur; (b) copulam inter ſe nectunt, pariunt. Hinc alia matura, alia immatura, juniora quædam, quædam ſeniora obſervantur. Hæc omnem ſanè fidem ſuperant: ſed ecce portentoſa magis; fuit (c) homo tam emotæ mentis, ut dum in animalcula inquireret, unum inter ea cuticulam exuiſſe; formamque induiſſe homuncionis in quo partes omnes diſtinctè perciperentur, ſe vidiſſe, auſus ſit propalare. Quò non mortalia pectora cogis, famæ vana fames! Tertium ex utroque conflatum ſyſtema propugnarunt alii: ova matura, inquiunt, ex ovario per tubas Fallopianas in uterum delabuntur; in ipſa, quâ datâ portâ, pediculo ſcilicet quo ovario nectebantur, ingreditur vermiculus, ſimulque cæteris aditum præcludit; aut uterum ipſe perreptans, tubas Fallopianas ſubit, ovarium adit, ibique valvulæ cujuſdam ope, in ovum maturum ipſi permittitur ingreſſus, exitus denegatur; mox ex ovario erumpit ovo involutus, in uterum defertur, ibique cum duplici ovi involucro quod fœtûs membranas efficit, creſcit, augetur, ac tandem in auras factus homo emittitur. Has adverſùs opiniones numeroſa certè invictaque proponuntur argumenta, quorum quædam ovorum & animalculorum hypotheſibus æqualiter adverſantur. Utraque enim progreſſum in infinitum ſupponit; totam nempe futurorum hominum in ovis delineatorum, aut vermiculorum formâ larvatorum ſeriem, primis incluſam fuiſſe parentibus propugnant ovorum, vermiumque deffenſores. (d) Verùm hanc materiæ diviſibilitatem nullibi terminos accipientem, mera eſſe delirantis humanæ mentis phantaſmata è phyſicis exulata, & ad metaphyſicorum infima ſubſellia ablegata, quis ignorat? Nec ſereniori poteſt accipi vultu ſuppoſitio in utroque ſyſtemate neceſſaria: (e) primam ſcilicet fœminam, ſi de ovis agatur, in ovario tuliſſe ova maſcula femellaque, quorum maſcula nulla continebant altera; dum femella, millena millia generationum ovorum maſculorum & femellorum includebant, ita ut in unâ eâdemque fœminâ quidam adſit ovorum in infinitum ſeſe explicandorum numerus, & alter determinatus maſculorum ovorum, quæ ſemel tantùm poſſunt explicari. Valent eædem adverſùs animalculorum ſyſtema difficultates. Nunc hybridas aſpicias; viden ut non de patre tantùm, ſed & de matre multa deſumpſerint? Natos hominum intuearis. Viden ut puer hic patri, alter ille matri, ſæpè ſæpiùs utrique ſit ſimilis? Viden ut oris aſpectum, corporis habitum, morbos ipſos, funeſtam ſanè hereditatem à parentibus indiſcriminatim accipiant? An ergò cum lineamentis immutabilibus in ovo aut animalculo præexiſtentibus congruant hæc phæ-

(a) Lewnoeck. arcan. natur. p. 306, 309. & 310.

(b) Tranſact. Philoſophic. n°. 145.

(c) Dalempatius. vid. nouv. de la Republ. ees lettres année 1699. p. 552.

(d) Vid. hiſtoire natur. de M. Buffon. tom. 2. 340. p. 27. & 154.

(e) Id. p. 157. & 158.

nomena? Quæ modò propoſuimns argumenta, hæc quamvis utrumque ſyſtema pariter infirmare videantur, ac funditùs evertere; quædam tamen huic & illo peculiaria ſingulatim juvat addere. Ac primò quidem ab ovorum fautoribus id quæro, cur ſcilicet ſi fœtus ante coitum in ovo perfectè delineatus exiſtat, cur inquam, nullus in ovis gallinaceis in lucem editis fœtus appareat, niſi priùs cum gallo copulam inierit gallina? (*f*) Cur in mulieribus, ſi gallinarum inſtar ova gerant, plurima ſimul ut in iſtis nunquam fœcundentur ova, ex quibus alia poſt novem menſes, alia poſt protractioris temporis intervallum, fœtus producant? (*g*) Cur nullis Anatomicis fide dignis ova in viviparis videre unquam contigerit? Si reverà adeſſent, tantane foret opinionum circa ſedem horum diverſitas? Adeòne raró fœtus in abdomine reperirentur? Nec pauciora nec infirmiora ovorum deffenſoribus exprobrantur. Neminem enim eò credulitatis deventurum eſſe exiſtimo, ut corpuſcula à Leweneoeckio in ſemine obſervata, vera eſſe animalcula arbitretur, cùm ſimilia corpuſcula pariter in plantarum, (*h*) carnium, ac gelatinarum ex carnibus coctis extractarum infuſionibus deliteſcere fuerit edoctus. Quamnam præpetereà judicabimus indolem animalculorum, quibus mortem ineluctabilem infert lenis calor externus, dum frigoris graviſſimi vim experiuntur (*i*) abſque periculo? Nonne fœtuum numero reſpondere deberet ſpermaticorum animalculorum numerus? (*e*) Nullo tamen experimento fuit comprobatum majorem in piſcium ſemine, aut inſectorum, quæ multiplices fœtus edunt uno partu, quàm in cæteris animalibus, vermiculorum reperiri quantitatem. Cur denique horum magnitudo in animalibus diverſorum generum ſit eadem, ut balænæ quàm minimo piſci nihilo majora eſſe aïat Lewenoeckius, (*k*) quis unquam enucleare ſuſcipiet? Quæ modò & ovorum, & animalculorum patronis objecimus, ea ſibi ojecta exiſtiment ſyſtematis ex amborum unione ædificati, deffenſores.

(*f*) Hiſt. natur. de M. Buffon. tom. 2. in 4°. p. 162.

(*g*) Id p. 379. & 380.

(*h*) Id p. 257. & 300.

(*i*) Id p. 284.

(*k*) Id p. 161.

(*l*) Lewenoeck. Epiſt. Phyſi pag. 166.

IV.

FUGATIS veterum atque recentiorum circa generationem figmentis, fœtum ex utriuſque ſexûs ſeminis miſcelâ oriundum cenſere quid vetat? An ſeminis in fœminâ defectus? Ne te id moretur ampliùs. Librum evolvas ſtylo elegantiſſimo concinnoque ordine conſcriptum; argumenta clara, dilucida, invicta, experimentis maximâ curâ inſtitutis innixa deprehendes. Seriem experimentorum ab eximio authore captorum perluſtres. Non tibi cum Lewenoeckio animalcula in ſemine finges ampliùs, (*a*) ſed globulos tantùm animadvertes, modò rotundos, modò ovales, à mucagine quâdam, parte ſcilicet ſeminis craſſiori ac viſcòſiori proficiſcentes, ad latus oppoſitum tendentes, in principio, filamento tenui, mucagini ſuprà dictæ adhæreſcentes, mox ab illo, quâ porportione ſcilicet à mucagine recedunt, ſeſe expedientes. Neque Lewenoeckio (*b*) docenti ovaria omnino eſſe inutiles imitationes teſtium virilium confides ampliùs, ſed veros eſſe teſticulos agnoſces, in quorum corporibus glanduloſis, ſemen maſculorum ſemini omnino ſimile, iiſdem globulis eâdem figurâ gaudentibus, & eodem ſenſu ſeſe moventibus refertum, reperiri pro certo tenebis. Nunc comparationem inſtituas; patebit concluſio. Liquorem quemdam teſtibus elaboratum ac ſecretum, veſiculis ſeminalibus depoſitum, in maribus adeſſe, apud omnes in confeſſo eſt. Liquorem omnino ſimilem, ab ovariis femellarum ſuppeditari, ſedulâ conſtat autopſiâ. Primum à naturâ generationi fuiſſe dicatum, extrà dubium omne ponitur. Alterum ergò iiſdem uſibus inſervire conſequens eſt. Neuter ſolus ſcopum poteſt attingere, cùm ſexus uterque requiratur ad generationem. Veroſimile eſt ergò miſcelâ liquoris utriuſque totum opus abſolvi. Neque id pro conjecturâ tantùm habeas; in cunctis enim animalium femellis, quando marem appetunt, corpus glanduloſum, ſeminis ſcilicet receptaculum, liquore plenum, rubeſcens, ac leni quaſi inflammatiunculâ correptum deprehenditur, flaccidum verò, vacuum, vixque conſpiciendum ſe præbet, quando torpent veneris ſtimuli; unde manifeſtum eſt liquore quo turget corpus glanduloſum, fœminas ad venerem ſtimulari, hocque fœcundationis operi impenſo, ab omni veneris ſtimulo im-

(*a*) Hiſt. natur. par M. Buffon. tom. 2. in 4o. p. 176. ad 223.

(*b*) Epiſt. Phyſi. p. 210.

munes esse, donec novus scaturiens in corpore glanduloso liquor novos procreet amores. Adde quòd phænomena ipsa cæteris in hypothesibus vix enodanda, nostram astruant sententiam, ac omnino confirment. Quid enim, ut alia prætermittam, hybridarum mixta indoles, quid natorum cum parentibus similitudo indicant? Nonne clamant hæc, naturæ utriusque parentis participem esse natum, ideoque feminam ac marem fœtûs formationi symbolum suum conferre? Renuis adhuc? Primis à conceptu diebus fœcundationis opus examini subjicias. Frustra membra quæris, vasa desideras; humorem tantùm gelatinosum ac pellucentem ob oculos ponet accuratior investigatio. Harveio si fides, (d) in conceptu ante omnia humor apparet. Die septimo à coitu, & in utero, & in cornu uteri, copiosum quasi albumen, in cujus medio crassum quid esset, invenit Jacobus Sylvius. (e) Hæ aliæque bene multæ observationes nonne evincunt fœtum ex liquorum seminalium miscelâ coalescere?

(d) pag. 180.

(e) Dissect. vari. pagc. 73.

V.

CUNCTIS arrisurum quod modò proposuimus, ut credere non licet, ita nullis objectionibus impugnandum sperare, stultum. Perperàm novum jactas inventum, clamabunt ovorum vermiumque deffensores. Innumera exempla fœtuum in tubâ, abdomine repertorum, ac ovario ipso ad natorum sors obtulit. Celebre prostat insuper Nuckii experimentum, (a) qui cani tertio à coitu die cornu ligavit, deinde vigesimâ primâ reperit inter ovarium & vinculum duos fœtus, cùm reliqua tubæ pars uteri vicinior inanis esset. Semen ergò femininum abnuas, ovaque pro veris fœtûs rudimentis habeas oportet. Quæ gravis admodùm primo intuitu videtur objectio, hæc paulò latiori mentis nostræ explanatione quàm brevi evanescet! Nullum adhuc liquorum seminalium miscelæ locum assignavimus; verùm modò in utero, modò in tubis, ad vicinia ipsius corporis glandulosi aliquando, sed raro quidem, hanc fieri conjicere quid vetat? Prout languidiori, aut vividiori motu, coitûs tempore, in organa muliebria immittetur virile semen, eò altius penetrabit, eò semini feminino à corpore glanduloso excusso citiùs occurret. Nihil prætereà mirum foret, si utero immissum virile semen aliquâ ex parte ad tubas appelleret, ac spasmodicâ quasi constrictione ad ovarium usque propelleretur. Quidam fortasse quærent quonam mechanismo uniantur ambo liquores, At dicant cur cum auro consociari amet mercurius, martem verò recuset. Aut potiùs sapientissimum creatorem increpent, qui mundum hominum disputationi reliquit, ac primas rerum causas in obscuro semper fore latentes, æternâ lege sancivit. Nobis verò, quibus sublimiorem volatum denegant pennæ debiliores, sufficiat experimentis certis, argumentisque inconcussis nostram astruxisse propositionem.

(a) Adenograph. curios. p. 69. 70.

Ergò ex utriusque sexûs seminis miscelâ, fœtus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Pascasius Borie.	*M. Franciscus-Nicolaus Gautier.*	*M. Hyacinthus-Theodorus Baron, antiquus Facultatis Decanus.*
M. Florentius-Carolus Bellot, Scholarum Professor.	*M. Franciscus Bidault.*	*M. Joannes-Franciscus Couthier.*
M. Ludovicus Pathiot.	*M. Joannes-Claudius Munier, Consiliarius Medicus Regis ordinarius, & Domûs Regiæ Invalidorum.*	*M. Michael Procope-Couteaux.*

Proponebat Parisiis JOANNES-LUDOVICUS-MARIA SOLIER, Aurelius, Doctor Medicus Remensis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Author, A. R. S. H. 1753, A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1753.